

*Drusus* ἀρετὴν per decus, majestatem Dei explicat; *Grotius* per potentiam.

v. 4. Δι ὧν ἴε. δόξης καὶ ἀρετῆς, qua gloriosa benignitate, expono eum *Rosenmüllero* ad I. Alii, inter quos *Moldenhawer.* et *Semlerus* eminent, referunt δι ὧν ad πάντα, initio vers. 3.

Δεδώρηται, aēive interpretandum, ut supra v. 3. δεδωρημένης. Gen XXX, 20. δεδώρηται ὁ θεὸς μοι δῶρον καλόν. —

Θεῖα φύσις est *Deus ipse*; sicut apud *Cic.* natura Deorum. Tali modo Iac. III. 7. φύσις ἀνθρωπίνη, idem quod ἀνθρώπος et φύσις θηρίων, bestiae. *Bengel.* in Gnomon. ad h. I divina natura, *Deus ipse.* Sic divina potentia v. 3. Magnifica gloria v. 17. sanctitas Dei Ebr. XII. 10. pro Deo ipso. Vid. *Macar. Homil.* 39.

Γενέσθαι θείας κοινωνοὶ φύσεως, venire in societatem divinae naturae, h. e. *Deo similes fieri.* In sacris libris nihil usitatius est, quam eos dici *Deo similes* red-ditos, qui sceleribus renunciaverint, δικαίως, καθῶς ἐκεῖνος δίκαιος ἐστὶ Ioh. III. v. 7., ἀγνὸς, καθῶς ἐκεῖνος ἀγνός ἐστὶ ib. v. 3., τελείως, ὡς περ ὁ πατὴρ τέλει-ός ἐστι Matth. v. 48., ἀγίως κατὰ τὸν ἅγιον, ad exemplum Dei I Petr. I. 15. *Petrus* enim ad virtutis studium cohortans, vult, ut pravas cupiditates sceleraque fugiamus, alias in societatem naturae divinae venire i. e. cum ea similitudinis vinculo conjungi non possemus. Vid. hunc locum doctissime enucleatum et tractatum a *Moro S. V.* in Diss. de notionibus universis in theologia, inserta Diss. Theolog. et Philol. Lips. 1787. conjunctim editis p. 278 sqq.

Φθορὰ h. l. et 2 Petr. II. v. 12. 19. *mores corrupti.* *Grot.* Similiter Eph. IV. 22. ἀνθρώπος φθειρόμενος κατὰ τὰς ἐπιθυμίας, animus cupiditatibus pravis cor-ruptus. Codices aliquot legunt τῆς ἐν κόσμῳ ἐπιθυμίας καὶ φθορᾶς, *Regius,* *Covelli* 4. *Genevensis,* alius et *Syra* poster. *ἐπιθυμίας* legit *Vulgata,* *Syra,* *Copta* et *Cod.* 43. *ἐπιθυμία* sine praepositione ἐν habet *Cod.* 21. probb. *Wetsten.* et *Griesbach.*

Sed quid nos ad mutandum allicere possit, non video; sensus enim est semper idem.